

Conicetanea critica.

(Continuata ex vol. XIII p. 573—604.)

7.

Herculanensium voluminum tomus nonus Neapoli MDCCCXLVIII editus Philodemi Epicurei complectitur mutilum librum *περὶ θανάτου Α*, quo 'Epicuream cantilenam', ut Seneca ait ep. mor. III 3, 17, persecutus inanem earum miseriarum formidinem exagitabat quae in morte et post mortem esse vulgo crederentur: mortui enim tantum abesse ut sentiant ut omnino ne sint quidem. Illius autem libri columna XX haec scripta sunt: *Ἔνιοι δ' οὕτως εἰσὶν τὸν ἀνθρώπινον βίον παρρηνηκότες οὐ χυδαῖοι μόνον ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσοφεῖν δὴ λεγομένων, ὥστε καὶ διάττονται τосαῦτα μὲν ἔτη διατρεῖψιν Ἀθηήσιον φιλομαθοῦντες, τосαῦτα δὲ τὴν Ἑλλάδα καὶ τῆς βαρβάρου τὰ δυνατὰ θεωροῦντες, τосαῦτα δὲ οἴκοι διαλεγόμενοι, τὰ δὲ λοιπὰ μετὰ τῶν γνωρίμων ἄφρω δ' ἄφαντον προσέβα μακρὰς ἀφαιρούμενον ἐλπίδας τὸ χρεών.* Vbi cum Dorica dialecto *προσέβα* efferatur, Antonius Octavianus, editor Neapolitanus, 'collegit hunc locum haud esse Philodemi sed alterius scriptoris, fortasse poetae, cuius verba ipse usurpat tacito nomine'. Quod eum vere iudicasse ut adfirmemus, Diodorus Siculus effecit XVI 92 Neoptolemum tragoedum coram Philippo Macedone hoc carmen narrans recitasse: *φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας, φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι δόμων δόμους, ἀφροσύνα πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι· ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους κέλευθον ἔργω σκοτίαν, ἄφρω δ' ἄφαντος προσέβα μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἄιδα.* Quod si

placuisset Philodemo, etiam quae praecessere carminis verba repetere memoria, certo sciremus, poeta quid scripserit pro corrupto ἔργῳ vocabulo: nunc vero acquiescamus oportet in coniectura probabili. Atque Nauckius quod in tragicorum Graecorum fragmentis p. 670 proposuit ἄφρω, eo veri similis excogitasse mihi hoc videor: ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους κέλευθον ἔργων σκοτίαν. Nam pernici Dis venatori comparatur, qui non metuens periculi animal ut occulto tramite grassatus undique plagis saepsit, subito adstat atque corripit. Verum etiam in Philodemi verbis, quae perscripsi, mendum inest, si quidem διαττονται διατρέψειν nequit intellegi: Neapolitanus autem cum 'ut gestiant commorari' interpretaretur, sententiam, non verbum expressit. At librarium equidem ΔΙ-ΑΤΤΟΝΤΑΙ in duos versus dispertientem unam syllabam praetermissis arbitratus ΔΙΑΤΑΤΤΟΝΤΑΙ restituendum esse censui, cui verbo constituendi vim subiectam esse ab inferioribus scriptoribus constat. Ni mirum ne antiquissimos quidem codices carere mendis, si hodie quis dubitet, is ex hac quoque papyro potest discere. Col. XXI Epicureus post quam senem ait non expectare mortem neque desperare immortalitatem (lege οὐδὲ τὴν ἀθανασίαν ἀπελπίζει), quia arbores sereret alteri saeclo profuturas fundamentaque iaceret aedificiorum quae millesimo anno confici possent, haec continuat: καίτοι τὰ πάθη ταῦτα διαφέρειν οὐκ ἂν τις εἶπυε τὸ νομίζειν ὑάλινα καὶ κεραμεῖα σκευὴ συγκροῦντα παμπόλλους χρόνους ἀδαμαντίνους ἀκάτακτα διαμένει. Recte Octavianus διαμένειν scripsit, perperam interrogativa nota terminavit enuntiatum neque τοῦ νομίζειν correxit. — Col. III nihil valere dicitur inimici malevolentia, sive quod bonis post mortem privati sumus, sive quod liberati malis, gaudentis: neutrum pertinere ad nos. Itaque legendum est διότι ἀγαθῶν ἐστερήμεθα ἢ ὅτι κακῶν . . . , etsi papyrus ΠΗΜΕΘΑΝΟΤΙ habet. — Col. VII sic emendo: τὸ τοίνυν καταλείπειν γονεῖς ἢ παῖδας ἢ γαμετὴν ἢ τινὰς ἄλλους τῶν ἐπιτηδείων ἐν συμφοραῖς ἐσο-

μένους διὰ τὴν καταστροφὴν ἡμῶν ἢ καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐλλείποντας ἔχει μὲν ἀμέλει φυσικώτατον δηγμὸν καὶ δακρύων προέσεις ἐγείρει τῷ νοῦν ἔχοντι μόνον ἢ μάλιστα. In codice est *ΕΛΛΕΙΨΟΝΤΑΤ*, quod discriptum in duo verba (*ἐλλειψον· τάτ'*) quomodo Octavianus interpretatus sit, non opus est referre. Lubet autem cum illis conferre Senecae ad Marciam cap. 7 'discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est et firmissimorum quoque animorum contractio'. Omninoque cum Philodemi libri reliquiis comparare ea operae pretium est quae alii scriptores proximi aetate vel posteriores tradidere de morte. Apparet enim a philosophis illis sive Stoicis sive Epicureis et totam argumentationem in partes paene easdem semper distribui et singulas partes tam simili explicari oratione ut alter alterum videri possit ante oculos habuisse: quemadmodum artifices deos fingentes fere certam quandam formam corporis habitumque exprimere aut rhetores eas divisiones et colores et sententias quae semel placuerant imitari solebant. Itaque eosdem locos a Philodemo tractatos esse videmus atque a Lucretio in extremo tertio libro et a Cicerone in prima Tusculana disputatione et a Seneca in consolationibus et epistulis moralibus: non aestimandam annis vitam esse, non curandam corporis post mortem conditionem, alia. Quae partim eisdem Epicureis et reliqui argumentis usi exposuerunt, partim diversis: consentiunt de sepultura, sed ut virtutibus Seneca aestimari vitam, ita Philodemus iubet voluptatibus, et multitudinis iudicium de mortuis, quod non omnino Cicero a se alienum putat (Stoicis vero placebat claritatem quae post mortem contingit bonum esse Seneca teste ep. mor. XVII 2, 3), pro nihilo est Philodemo. Verum non sententias modo sed etiam formas earum non nullas et translationes repetebant, velut quod Lucretius dixit 'cur non ut plenus vitae conviva recedis' vel Horatius 'exacto contentus tempore vita cedat, uti conviva satur', hoc idem Philodemus fragm. tab. IV ut Graecus Grae-

ce sic significaverat: θεάματος ἀπίέναι μεστόν. — Col. XVIII lege: οἱ δ' εἰκόσιν ὀδονηρόν ἡγεῖσθαι τὸ μετὰ τὴν ζωὴν ἀμνημόνευτον (id est ἀμνημόνευτον), ἤνικ' οὐκ εἰσίν, ἐπὶ τὴν ἐν τῷ ζῆν ἀφροντιστίαν ὑπ' ἀνθρώπων καταφρομένοιοι. ληροῦσι δ' ἄλλως καὶ τὴν ἐφ' οἷς δὴ ποτε θαναταζομένοις ὑπ' ἀνθρώπων μνήμην εἰδαμονίζοντες — — — ἀλλ' οὐ μόνην τὴν ἐφ' οἷς ἀπέλευν τις ἀγαθοῖς. Nam mendose papyri tabula et Neapolitanum exemplar *ΛΗΡΟΤΙΔΑΜΩC* exhibent neque mentem Philodemi editor assecutus est cum ἄλλοι pro ἀλλ' οὐ suppleret. — Col. XXI scriptor insanis hominibus, quos necopinantes mors opprimit, dum Socratem cogitat, sanos illos opponit, qui ubi finis vitae adpropinquavit, narrantes ignorantibus, quale esset καὶ τὸ πάντων ἀπολελύσεσθαι καὶ τὸ τελεάν αὐτοὺς ἐπιλαμβάνειν ἀναισθησίαν, tam impavide (ἀκαταπλήκτως) sustinebant, ὥστε μηδὲ τὸν ἐλάχιστον χρόνον ἐπέλθοῦσαν ἔσχον τὴν ἐπιβολήν. Nam aut ἐπέλθοῦσαν aut ἐπιούσαν ut scribatur sententia postulat pro eo quod est in papyro *ΕΓΛΕΤΟΤΑΝ*; Octavianus autem hoc loco ut permultis aliis falsus est. Velut fragm. tab. V ἐπιχεωμεν Διοῦ σωτηρος ὀργὴν supplevit, cum iocans in Graecum morem Philodemus scripsisset ἐπιχεώμεθα Διὸς σωτήρος. — Col. XVII ubi iniusto atque violento supplicio affecti dicuntur non tolerasse tantum sed etiam contempsisse mortem, Socrates nominatur et Zeno Eleates et Anaxarchus, ὧν τινες ὑστερουσιν, τινες ἄλλοι τῶν φιλοσοφησαντων, 'quibus alii sunt inferiores, alii philosophantibus dissimiles': at codex cum *ω.ΤΙΝΕCΙCΤ.ΡΟ.* *NEC* habeat, quis dubitabit quin verum sit καὶ Ἀνάξαρχος, ὧς τινες ἱστοροῦσι, καὶ τινες ἄλλοι τῶν φιλοσοφησάντων? unde apud antiquos non modo de interfectore Anaxarchi verum etiam de ipso mortis genere variam fuisse memoriam elucet, quamquam philosophi rhetoresque crudelissimam eum mortem summa constantia perpassum esse consentiunt. Similiter vero adlato a se exemplo fidem Philodemus facit ita ut historicum vo-

cet in testimonium col. XI: *Φαρμαστόν δ' εἰ τοὺς ἐν παρατάξει μόνον ἀποθνήσκοντας ὑπολαμβάνουσιν οἱ μεταγενέστεροι λαμπρόν τι πεπραχέναι, Θεμιστοκλέα δὲ ὃν φησι Θουκυδίδης [I 138] νόσῳ τελευτῆσαι, καὶ Περικλέα καὶ μυρίους ἄλλους τῶν αἰοιδίμων οὐ νομίζουσιν, καὶ φυσικωτέρως ἐξηκότας Ἐπίκουρον καὶ Μητροδόωρον.* — Col. XIX si intellexisset Octavianus Philodemi sententiam, sic distinxisset: *καὶ καθ' ἕκαστον χρόνον 'εἰ τοῦτ' ἐπιδῶν γεγόμενον ἀπέθνησκον, οὐκ ἂν ἐπεστρεφόμεν τῆς τελευτῆς' λέγων.* Subiungitur ὁ μετ' ὀλοφρυμοῦ βοῶν *'ἐγὼ μὲν ἐκ τῶν ζώντων αἴρομαι, καὶ πολλάκις ἀγαθὰ τοσαῦτ' ἔχων, καὶ δυνάμενος ἀπολαύειν· ὁ δὴνα (id est δεῖνα) δὲ καὶ ὁ δὴνα περιέσται!'* Neapolitano autem visum est scribere ὁ δην, ἄδε, καὶ ὁ δηπον περιέσται, 'hoc diu, illa quoque, et id quidem supererit'. Iam in papyro haec continentur: *καὶ γὰρ βλέπεται, δι' ὧν ὁ μὲν τεύχεται παραμυθίας, ὁ δ' οὐδὲ προσφωνήσεως ἀξιωθήσεται,* quae mirum in modum Octavianus corrumpit: *ὁδ' οὐδε προσφωής, ἕως ἀξιωθήσεται, 'alius ne allocutione quidem, donec se dignum praebeat'.* — Tabulae I fragmentum alterum sic debebat constitui: *τὸ μὲν γὰρ ἴνα - - πᾶσαν ἀπολάβῃ τὴν οἰκειοτάτην εἰ ἐνδέχεται διαγωγὴν, ὀρέγεσθαι - - ὥστε πλησθῆναι τῶν ἀγαθῶν καὶ πᾶσαν ἐκβαλεῖν τὴν κατὰ τὰς ἐπιθυμίας ὄχλησιν ἡσυχίας μεταλαμβάνοντα, νοῦν ἔχοντός ἐστιν ἀνθρώπου.* — Col. I lege: *ἂν δὲ παραγένῃτ' (id est elisa, ut fit in his voluminibus, diphthongo παραγένῃται) αὐτῆς μὲν εὐδαιμονίας ἀφαιρέσεις, οὐ γίνεται τῆς γεγονίας . . . οὐδὲ τῆς ἔτι μετουσίας αὐτῆς.* — Col. II cuius principium sic corrigas: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὸ μέρος ὀδυνῶν τάχα καὶ συγγνωστόν ἐστιν· τὸ δ' ἐπὶ [τῷ] τοῦς δυσμενεῖς ἐπιχαρήσεσθαι μάταιον ἀσυγγνώστως ἐστίν,* post quam superbientibus accidere scriptor dixit ut deriderentur ab adversariis, hoc addit: *τῷ δὲ ἀγαθῷ κατὰ διάθεσιν οὐδεὶς ἀγαθὸν ἔγνωκώς αὐτὸν γίνεται δυσμενής:* *ΑΓ ΟΙΝΩΚΩC* papyrus, *αν πεπαροινωκως* Neapolitanus, *ἀγαθὸν ἔγνωκώς* ego scripsi. — E col. XVI totum

huc locum emendatum transcribam: -τὸ λυπεῖσθαι μέλλοντα καταστρέφειν βιαίως ὑπὸ δικαστηρίου κατακεκριμένον ἢ δυνάστου, καθάπερ ὁ Παλαμήδης καὶ Ὑωκράτης καὶ Καλλισθένης· ἔστι μὲν γὰρ ἀμέλει τῶν ἄγαν παραλόγων καὶ σπανιωτάτων περὶ σοφοὺς ἄνδρας, οὐχ ὅτι γοῦν ἐνεργοῦσι τι τῶν εἰς τοῦτ' ἀγωγῶν, ἀλλ' οὐδὲ κοινότητος παρέχουσιν. ἀλλ' ἐπειδήπερ οὐκ ἀδύνατον, ἔτι δὲ μᾶλλον οὐ τῶν μὴ τελείων τοῦτο συνκυρῆσαι, τὸ μὲν ἀδήκτως ἔχειν κατὰ πᾶν οὐ βλάδιον, τὸ δ' ἐνοχληθέντα πάνυ μετρίως τοῖς ὅλοις γενναίως ὑποφέρειν ἔξεστιν τοῖς τοιοῦτοις διαλογισμοῖς. Solebant enim philosophi illius aetatis sic loqui: ἔστι τῶν παραλόγων vel τῶν μὴ τελείων, quapropter etiam Cicero ad Varronem VIII 4, 1 iocose 'si venturus es' inquit 'scito necesse esse te venire; sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te venire', nimirum κατὰ Διδῶρον περὶ δυνατῶν κρίνων. — Vituperaverat Philodemus eos qui ne in mari moriantur timent: neque enim piscium (col. XIV ima lege ὑπ' ἰχθύων, cuius verbi in codice XΘ litterae supersunt; de sententia cf. Senecae epist. mor. XIV 4, 31 et 32) in aqua fieri praedam peius esse quam terra obrutum vermium aut rogo inpositum flammaram. Iam duo profert exempla in quibus vana inest istiusmodi formido, quorum alterum (μάταιον δὲ καὶ τὸ πυργοῦν ἐν πελάγει λέγοντα καὶ τῷ Διβυκῷ δε . . . ποιῶν τεττάρων ἀποπνιγῆναι . . . θων, ὅταν ἐν πνέφῳ γένηται) una cum Democritia locutione col. XXI (παρ' ἣν αἰτίαν οὐδὲ διαθήκας ὑπομένοντες γράφεσθαι περικατάληπτοι γίνονται καὶ δι . . . εμφορεῖν ἀναγκάζονται κατὰ Δημόκριτον) aliorum commendari iudicio volo, emendatio alterius inchoata a Neapolitano sic est perficienda: Πῶς δ' οὐκ ἀστόχως ὁ λέγων Ὀδυσσεὺς 'τρικμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ ποτ' ὄλοντο Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρεΐδῃσι φέροντες· ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον θανέειν· νῦν δὲ με ληνγαλέῳ θανάτῳ εἴμαρτο ἄλωναι' δυσπότιμους ἐνόμιζεν τοὺς ἐν ταῖς ναυμαχίαις περὶ τῆς πατρίδος ἀποθανόντας, ὡς τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ καὶ Καλαμῆνι καὶ τοὺς ὕστερον καὶ μεθ' ἡμᾶς ταῦτα πεισομένους;

N

Atque deinceps insequente versu cum legatur *ΤΩΜΕΝΠΙΛΑ* . . . *AIC*, hoc est τῶν ἐν Πλαταιαῖς, hanc Philodemum sententiam subiecisse patet: non minore illos laude et praedicatione dignos esse quam qui in terra pugnantes cecidissent. Homeri autem versus ex *Odysseae E* petitos, ut memoria tenebat et in hunc locum quadrare arbitrabatur, perscripsit 306—308: *τρειςμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρεΐδῃσι φέροντες· ὡς δὴ ἔγωγ' ὄφελον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν* et 312: *νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἴμαρτο ἀλῶναι*. Etsi enim parum litteratum iudicare illum Epicureum possis, qui exilem et spinosam disputationem perraro historiarum carminumque flosculis ornaverit et ea quae intexuit exempla plerumque ex libris adversariorum, in primis Stoicorum, ut dilueret excerpserit, Homeri tamen notitiam accuratam habuit, qua factum est ut etiam peculiari libello de bono viro, qualem Homerus descripsisset, ageret, singulis Homeri versibus pro fundamento positis suae declamationis. In hac autem de morte scripture etiam col. X cavillatur Homerum (videlicet hic est ille 'vetus poeta', cuius in verbis et explendis et interpretandis mirum quantum a vero Octavianus aberravit), ubi quo genere mortis intereas nihil differre exponit. Verba autem haec sunt: — *εὐτροπον, ἀλλ' οὐχὶ μέγα ῥέζοντα καὶ ἐσσομένοισι πνθέσθαι, καθάπερ ἔθος ἐνίοις τραγωδεῖν, ἀποπληξία πολλή τις ἐστίν. ὡς γὰρ ἐν Αἶδου προτιμηθῆσόμενοι, καθάπερ ὁ Ἀχιλλεὺς, τῶν τηκεδόνι στυγερῆ τελευτῶντων, οὕτως ἔχουσιν, ὑπὸ τῆς ἀδιαληψίας ἐπιλανθανόμενοι τοῦ ποτὲ κατακρεῖναι τῶν ἐκλιπόντων ἀναισθησίαν παντελῆ, καὶ διὰ τοῦτο τοὺς αἰκίζόμενους τὰ λείψανα κωφὴν γαῖαν ἀεικίζειν μενεαίνειν λέγοντες*. Quis non meminit Hectoris exclamantis *μη μὲν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, ἀλλὰ μέγα ῥέξας καὶ ἐσσομένοισι πνθέσθαι* (Il. X 305) et matris Vlixis apud inferos narrantis *οὔτε τις ὄν μοι νοῦσος ἐπήλυθεν, ἥτε*

μάλιστα τηκεδόνι στυγερῆ μελέων ἐξείλετο θυμόν (Od. A 201) ? Eandem hanc Homericam dictionem in epigramma translata[m] videmus Cleonis repertum editumque a C. Bursiano in actis Instituti archaeologici Romani a. 1854 p. XXXIV, ab A. Baumeistero in Philologi IX p. 184, cuius primum *δίστιχον* hoc est: Ἰκαρίου μὲν παῖδα πολυζήλωτον Ὀμηρος ἦν ἦσ' ἐν δέλοις ἐξοχα Πηνελόπην — et in sexto versu mutilo duo adhuc haec verba leguntur τηκεδόνι στυγερῆ. Deinde autem κωφὴν γαῖαν ἀεικίζειν μενεαίνειν (K . . . HN ΓΑΙΑ . . EI . . ZEINMENEAIN . . N papyrus) ex Iliadis Ω 54 restitui, quo corpus Hectoris trahentem Achillem Apollo accusat: κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. Reprehenditur igitur Homerus quod κωφὴν γαῖαν, hoc est sensu omni vacans corpus (cf. scholia Bekkeri p. 630 et Moschionis fragm. 8 apud Nauckium p. 634), tamen ἀεικίσεσθαι dixit, id quod non cadit nisi in eum qui sentit. Epicureus vero sic pergit: ὅθεν οὐ διακρινεῖ φρένας ἔχων τὰ ποιητικὰ τῆς τελευτῆς, εἰς ἀναισθησίαν καὶ ἀνυπαρξίαν πάντα παραπλησίως ἄγοντα, πλὴν τῶν - - πόνον - - παρασκευαζόντων. In quibus ἀνυπαρξίαν supplēvi secundum ea quae leguntur col. XII: πάντας ἀπλῶς ἀναισθητεῖν, μᾶλλον δὲ μηδ' εἶναι et col. XIV: οὐδ' ἐπαισθανόμεθ' αὐτῶν οὐδ' ὄλωσ ἐσμέν: nisi in codicis scriptura *ΑΝΤΠ. ΙΑΙΑΝ* aliud vocabulum lateat nove compositum, velut nove ἀδιαληψία proprietates eorum dicitur qui non possunt iudicare.

8.

Sacrarum antiquitatum Romanarum scientiae non omnino contemnendam puto accessionem fieri emendatis his verbis quibus conlatos Caligulae iussu in mortuam Drusillam honores Cassius Dio LIX, 11 complectitur: καὶ οἱ τὰ τε ἄλλα ὅσα τῇ Αἰουία ἐδέδοτο ἐψηφίσθη, καὶ ἐν ἀθανασίᾳ καὶ ἐς τὸ βουλευτήριον χρυσῆ ἀνατεθῆ καὶ ἐς τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ Ἀφροδίσιον ἄγαλμα αὐτῆς ἰσομέτρον τῷ τῆς

θεοῦ ἐπὶ ταῖς ὁμοίαις τιμαῖς ἱερωθῆ, σηκός τε ἴδιος οἰκοδομηθῆ, καὶ ἱεραῖς εἰκόσιν οὐχ ὅτι ἄνδρες ἀλλὰ καὶ γυναῖκες γένωνται, αἶ τε γυναῖκες αὐτὴν ὁσάκις ἂν μαρτυρῶσί τι ὀμνύωσιν, καὶ ἐν τοῖς γενεαίοις αὐτῆς ἑορτὴ τε ὁμοία τοῖς Μεγαλησίοις ἄγεται καὶ ἡ γερουσία ἣ τε ἰππὰς ἐστιᾶται. In quibus Robertus cum γένωνται corruptum esse existimaret, scripsit γεραίρωνται, eumque reliqui editores secuti sunt nisi quod activam γεραίρωσιν formam substituerunt in locum insolentis illius mediac. Quae tamen scriptura non modo externa specie veritatis caret verum etiam aperte vitiosa est. Nam ut leviolem praetermittam dubitationem grammaticam quae non addito αὐτὴν pronomine movetur, poterat fortasse senatus decernere ut sacris simulacris privati quoque Drusillam honorarent, id est ut Drusillae cultus coniungeretur cum religione domestica, non poterat decernere ut sacris eam statuis non viri tantum sed etiam mulieres donarent, quod scire velim qua ratione editores fieri potuisse sibi persuaserint. At vero morem consecrationis ritumque circumspicientibus consequens esse videbitur, ut simul cum templo senatus divae constituerit sacerdotes. Quocirca sententiam effici aptissimam iudico lenissima hac mutatione: σηκός τε ἴδιος οἰκοδομηθῆ καὶ ἱεραῖς εἰκόσιν οὐχ ὅτι ἄνδρες ἀλλὰ καὶ γυναῖκες γένωνται. Viginti igitur Drusillae sacerdotes facti sunt, et illi quidem non tantum viri qui divorum sacra curare solebant, sed etiam feminae: ut duo conicias collegia fuisse, sodales Drusillianos ad Augustalium similitudinem institutos et publicas divae Drusillae sacerdotes. Ceterum quoniam in Orelli Henzenique collectionibus inscriptionum Drusillae sacerdos neque Romanus neque municipalis reperitur, subscribere monumentum lubet musei Taurinensis a Maffei museo Veronensis p. 210, 4 editum: a M. f. Secunda Aspri, flaminica divae Drusillae, balneum et piscinam solo suo municipibus suis dedit.

9.

In Aeschylea Septem adversus Thebas Eteoclem ut primum semet ipsum contra Polynicem congressurum esse dixit, Thebanarum chorus virginum precibus atque cohortatione deterrere studet: fratres si alter alterum occiderent, nullum tam nefandi sceleris piaculum fore. Iam rex haec respondet (v. 664 Herm., 683 Dindorf. ed. III):

εἴπερ κακὸν φέροι τις ἀλοχύρης ἄτερ,
ἔστω· μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσιν·
κακῶν δὲ κάσχωῶν οὐ τιν' εὐκλείων ἐρεῖς.

Quibus ex versibus alterum non ita ab Aeschylo esse scriptum mihi persuasum est. Atque qui defenderunt eum, duplicem interpretandi viam ingressi sunt aut hanc ut 'hoc enim in morte unicum lucrum est' aut hanc ut 'nam salus non est nisi in morte' significari putarent, quarum utramque Welckerus de Prometheus trilogia p. 363 n. 629 ferri posse existimabat. Mihi vero alteram recte refutasse Hermannus videtur cum haec adnotaret: 'non puto dici, quod volunt, μόνον γὰρ κέρδος τοῦτο ἐν τεθνηκόσιν. hoc si poeta voluisset, non γὰρ sed τόδε posuisset'. Neque altera magis probatur quamquam primo ab Hermanno quoque sic defensa est: 'si haec ita scripsit, hoc dicit sententia ex philosophia deprompta, *si quis infelix sit sine turpitudine, esto: nam lucrum omne apud inferos quaerendum est* (si ibi non punimur: sola quae post mortem est vita consideranda est). *at infelicitas cum turpitudine coniuncta nusquam in honore est*'. Etenim neque ulla in Aeschyleis versibus eorum verborum significatio apparet quae Hermannus addidit 'si apud inferos non punimur', nec post quam impietatem fraternali certaminis chorus ostendit, Eteocli, si quidem vitam post mortem futuram cogitasset, non punitum se iri sperare licuit. Tum autem sententia illa 'unicum lucrum apud inferos est' philosophum quidem fortasse decet, omnino tamen

non convenit in personam Eteoclis qualem Aeschylus finxit: nam Eteocles non quasi pro lucro habeat mortem appetit sed inevitabili coactus necessitate quia non alia ratione numina divina, Phoebum ortae Laio gentis perditorem et Erinyn Oedipodeam, placari sentit. Accedit quod non intellegitur qua secundus versus necessitudine cum primo devinciatur et γὰρ particula quid sibi velit; quoniam malum sine turpitudine ferendum esse non inde consequitur quod in morte unica salus posita est. Denique quod ἐν τεθνηκόσιν idem esse atque 'apud inferos' omnes voluerunt, abhorreere hoc etiam a poetarum sermone puto; nam inferos si significaturus Aeschylus erat, debebat τοὺς τεθνηκότας addito articulo efferre. Has vero quas indicavi offensiones ne ii quidem sustulerunt qui traditam scripturam mutando ut corriperent operam dederunt. Blomfieldus post secundum versus duos tresve intercidisse opinatus tertio versu redarguitur cum primo artius cohaerente: 'si quis malum patiat sine turpitudine, esto: malorum autem cum turpibus coniunctorum nullum honorem dixeris'. Schuetzio secundi et tertii versuum permutanti ordinem, ut posterior esset ἔστω —, Hermannus assentiebatur cuius haec est enarratio: 'sane, inquit, declinare[m] fratrem, si malum hoc, non punire ferocientem, sine turpitudine ferre possem: sed quae mala simulque turpia sunt, non dicas laudanda. esto (congre-diar cum fratre): solum enim apud inferos lucrum est, i. e. in morte'. Verum in hac coniectura praeter alia quae anto tetigi, maximum hoc malum est quod non procedit apte oratio sed dissoluta et tamquam amputata membra colligantur. Mihi Aeschylum constat scripsisse:

εἴπερ κακὸν φέροι τις ἀσχύνης ἄτερ,
 ἔστω· μόνον γὰρ κέρδος εἶ τεθνηκόσιν,
 κακῶν δὲ κάσχωρων οὐ τίς' εὐκλείαν ἐρεῖς.

Εὐφημῶν Eteocles κακὸν appellat mortem et quamquam semet ipsum cogitat, de quolibet homine loquitur, ut haec trium horum versuum sententia sit: 'si moriar sine turpi-

tudine iniuriam a fratre mihi inlatam ulturus, esto: nam lucrum non faciunt nisi qui bene et honeste moriuntur, turpis autem mors nusquam in honore est'. Quia enim certam Eteocli mortem animus praesagit, nunc ipsum hoc decernit utrum honesta sibi an turpis subeunda sit, id est utrum a Polynice poenas ipse repetitum eat necne. Non praetermittam autem gravissimum nostrae emendationis testimonium, adscriptum illi versui in Florentino libro duplex hoc scholion: *μόνον γὰρ κέρδος: ἡ εὐκλεία. ἔν κέρδος τὸ αὐτὸν ἐκδικῆσαι ἀδικούμενον· ἐὰν δὲ ἀνεκδίκητος ἀποθάνῃ, ἔνεκά γε τῶν εἰς αὐτὸν γενομένων κακῶν καὶ αἰσχροῶν ἄδοξος.* In quo quae sunt verba *ἡ εὐκλεία* et *τὸ αὐτὸν ἐκδικῆσαι ἀδικούμενον*, eis veterem grammaticum satis recte patet explicasse quod Aeschylus scripserat *εὖ τεθνηκόσιν*.

Inter varia corruptelarum genera, quibus fabula illa per omnes aetates multum lectitata subinde inquinabatur, frequens etiam illud invenitur quod singuli versus alio atque ab Aeschylo factum erat ordine collocati sunt. Quod etiam versui 418 (437 D.) accidisse mihi persuasi. Secundum Argivi exercitus ducem, Capaneum, explorator Thebanorum regi tamquam ultra hominis modum superbientem Iovemque ipsum lacessentem descripserat et ad extremum ex Eteocle, Thebanus quis cum isto dimicaturus esset, quaesiverat: *τίς ἄνδρα κομπάζοντα μὴ τρέσας μενεῖ;* Sic enim vulgo hic versus scribitur, sententiam si spectes nullo modo reprehendendus sed non legitima auctoritate confirmatus. Nam cum in recensendis Aeschyli tragoediis haec lex sequenda sit ut secundum Florentinum librum, ex quo reliquos fluxisse omnes invictis argumentis demonstrari potest, et emendentur versus et expoliantur, tum ars et ratio flagitat ut a primaria Florentini codicis et antiqua scriptura proficiscentes, recentior manus quae mutavit non adsciscamus nisi necessario, quoniam *διορθωτής* ille quam ambigua versatus fide in his fabulis sit, bene nuper Dindorfius editionis tertiae p. V adumbravit. Iam vero in hoc

versu *κομπάζοντα* novatum a correctore Florentini et deinceps propagatum a ceteris librariis est, antiquitus autem scriptum *κομπάσαντα* erat, quod in nuntii personam atque orationem apte convenit. Is enim cum quae vidit et audivit res hostium speculatus narret, quid obstat quo minus praeterito et sicubi non continuatas verum per temporis vestigia sparsas actiones respicit, aoristo utatur? Velut et de Parthenopaeo v. 522 *Σφίγγα* -- *ἐνώμα* et in Hippomedontis descriptione v. 471 *ἄλω δὲ πολλήν, ἀσπίδος κύκλον λέγω, ἔφριξα δινήσαντος* similiaque multa dicere ei licuit. Itaque etiam minarum illarum quas Capaneus iecit et iecisse cum v. 408—412 ipse rettulit (*τὰς δ' ἀστραπὰς τε καὶ κεραυνίους βολὰς μεσημβρινοῖσιν θάλαπσειν πρὸς ῥήκασεν*) memor *ἄνδρα κομπάσαντα* appellat, id est gloriatum: *κομπάζοντα*, id est militem gloriosum eum esse Eteocles demum ex narratione nuntii colligit. In illum igitur versum postea quam nuntius desivit, regis responsum sic incipit:

418 *καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκεται·*

τῶν τοι ματαίων ἀνδράσιν φρονημάτων

420 *ἢ γλώσσο' ἀληθῆς γίγνεται κατήγορος.*

Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος

θεοὺς ἀτίζων κάπογυμνάζων στόμα

χαρᾷ ματαίᾳ θνητὸς ὢν ἐς οὐρανὸν

πέμπει γεγωνὰ Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη.

Quos versus hoc ordine, quem perversum esse contendo, scholiastam legisse ex inepta hac ad v. 418 adnotatione apparet: *καὶ τῷδε κέρδει κέρδος πρὸς τῷ μείναι τὸ νικῆσαι· τοῦτο γὰρ ἐστὶ κέρδει κέρδος*. Neque Blomfieldus felicius: 'nolim cum interpretibus vertere *et huic lucro*, sed potius *et huic* (Capaneo sc.) *commodum commodo nascitur*, i. e. *quod ad hunc attinet*. Nempe ut Tydeo supra memorato nox, quae in clypeo signum est, augurium erit nobis faustum, ita et huic quoque signum *τοῦ πρηφόρον* nobis lucro erit, quia indicat *ἀντιῶ ξὺν δίκη τὸν πρηφόρον* "Ἐξεν κεραυνόν. haec meliora puto, quam quae protulerunt

interpretes. sed nec ita locus mihi satis expeditus videtur'. Nam tum non intellegimus quo modo commodum commodo accedat, quoniam a Blomfieldo dictum illud commodum unum est, nec τῷδε α κέρδει disiungere licet ut oppositum κέρδος ἄλλο ostendit. Aeschylus Eteoclem quid significare voluerit, plane Hermannus perspexit 'hoc lucro quod hic iactor est, accedit aliud, quod ipsa illa iactatione Iovis iram provocabit'. Haec ille verissime, perperam autem praemisit 'καὶ τῷδε κέρδει spectat ad praegressam Eteoclis orationem'. Posset enim καὶ particula ita explicari ut aliqua Capanei ad Tydeum comparatio fieret ab Eteocle, si καὶ τῷδε per se posita essent, id quod Blomfieldus sensit: nunc autem quoniam καὶ τῷδε κέρδει coniungere versu ipso iubemur, ad primam Eteoclis orationem καὶ referri omninoque intellegi nequit. Nam ut Hermannus adhibeam interpretationem quid hoc est enuntiati 'etiam hoc lucro (quod hic iactor est) accedit aliud', cum in praegressis sive nuntii sive Eteoclis verbis non mentio sit lucri facta? Deinde quod τόδε κέρδος Hermannus lucrum illud accepit quod Capaneus iactor esset, aperte id antea ab ipso rege dici debebat, quia nuntii κομπάζοντα vel potius κομπάσαντα non ad universam Capanei naturam indolemque, verum ad ea quae tunc ipsum comminatus erat pertinet. Atque necesse erat, postquam Eteocles τῷδε κέρδει τίκτεται ἄλλο κέρδος dixit, statim subiungi quale esset novum hoc lucrum, quod Hermannus recte enarravit: itaque cum v. 418 coniungendi versus 421 eqs. erant, quibus ἄλλο κέρδος exponeretur, neque interponere licebat versus 419 et 420. Horum enim, quos non nulli prave intellexerunt, haec vis est: 'Capaneus suis minis temerarius atque stultus homo esse arguitur'. Qua de caussa ut oratio Eteoclis progrediatur cum ratione et sententiae ordine explicentur, transpositione versuum hac opus est:

419 τῶν τοι καταίων ἀνδράσιν φρονημάτων

420 ἢ γλῶσσ' ἀληθῆς γίγνεται κατήγορος.

418 καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκεται.

421 Καπανεύς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος
θεοῦς ἀτίζων κτλ.

Prius commodum ab Eteocle vocantur emanantia ex ore Capanei *μάταια φρονήματα* propter quae conatus eius non magnopere metuendi sint Thebanis, alterum ex prioro illo ortum hoc quod mortalis deos minis insequitur et Iovis fulmina in sese quasi detrahit de caelo. Nam *δέ* in v. 421 quo alterum commodum persequi rex coepit, *γάρ* particulae locum tenet.

Attingam hoc loco rem a scaenica huius fabulae conformatione non alienam neque inutilem, quippe quae aliquantum ad illustrandum poetae consilium valere videatur. Quaeritur enim, sex illi praeter Eteoclem Thebanorum duces quo esse loco, dum nuntius et Eteocles collocantur, cogitandi sint. Et Butlerus qui regem in scaenam ducibus stipatum prodiisse et ex iis quosdam ad portarum custodiam selegisse statuit, hanc sententiam cum aliis plerisque tum Prienio (programmatis Lubecensis a. 1856 p. 5) probavit. Nam is instructos armis adesse duces Thebanorum in scaena et ut designantur a rege ita statim ad suam quemque portam defendendam discedere opinatus hoc argumento mirifice abutitur ad versus 656 et 657 in suspicionem vocandos: quasi Eteocles tam pueriliter cupidus fuerit splendidae armaturae, ut per totam fabulam cum ocreis et hasta et scuto procederet, quae arma a viro bellatore non sumuntur nisi si in ipsum certamen descendit. Contra illos Ritschelius in Iahnii annalibus LXXVII p. 793 non prosecutos Eteoclem in scaenam sex duces esse evicit. Nam quod illius rei viri docti in duabus Eteoclis orationibus duo argumenta sibi invenisse videbantur v. 389 et 453, hoc permirum foret, ex sex illis quos secum duxisset, tamquam praesentes regem non significasse nisi duos neque hos ipsos duo aliter nisi *τόνδε* pronomine satis ambiguo (cf. v. 612 quo *τόνδε* nuntius denotat Polynicem, cuius facturus mentionem sit).

At v. 453 plane persuadet nobis sententia ut τόνδε, si ita hunc versum Aeschylus scripsit, non referamus ad Megareum sed ad τὸν φερέγγυον πόλεως ἀπείργειν τῆςδε δούλειον ζυγόν: cohortanti enim nuntio ut idoneum defendendae portae virum deleget Eteocles hoc versu respondet: πέμποιμ' ἂν ἥδη τόνδε, σὺν τύχη δέ τῃ καὶ δὴ πέπεμπται. Versum autem 389 probabiliter Grotius sic correxit: τῶνδ' ἀντιτάξω προστάτην πυλωμάτων, ut rex respondeat ad interrogationem nuntii (v. 376) τίς Προΐτου πυλῶν — προστατεῖν φερέγγυος; idemque censuit etiam Prienius p. 36. Omnem autem tollunt dubitationem versus 265 ss.: ἐγὼ δ' ἐπ' ἄνδρας ἔξ ἐμοὶ σὺν ἐβδόμῃ ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τροπὸν εἰς ἐπιτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολῶν, πρὶν ἀγγέλους σπερχνοὺς τε καὶ ταχυρρόθους λόγους ἰκέσθαι καὶ φλέγειν χρεῖας ὕπο. Frustrane Eteoclem haec dicentem Aeschylus fecit, Aeschylus qui ab supervacaneis verbis adeo sibi temperavit ut v. 356 nuntius scaenam ab agri Thebani parte ingrediens advenientem ex urbe Eteoclem ne appellet quidem salutandi causa? Immo vero quod illis versibus facturum se esse rex profitebatur, id dum στάσιμον a choro canitur, ante quam Eteocles in scaenam redeat (v. 353) perpetratum esse statuendum est necessario. Hactenus igitur consentio cum Ritschelio, dissentiendum mihi videtur de reliquis. Hic enim p. 792 tum regem hoc egisse arbitratur ut sex imperatores deligeret et ad communem urbis defensionem destinasse; quam autem unus quisque septem illarum portarum tuendam susciperet, postea demum cum de singulis Argivorum ducibus audisset a nuntio, decrevisse. Fac hoc verum esse: quonam modo duces Thebani, qui non adsunt in scaena, de suis provinciis certiores fiunt? Num per nuntium? at nuntius non magis quam alius quisquam referre ad duces mandata Eteoclis iubetur neque apparitor est vel pedissecus regis sed κατόπτης στρατοῦ. An per ipsum Eteoclem post v. 700? at parva temporis mora inter v. 700 et 772 quam in casibus Oedipodeae gentis

breviter repetendis chorus consumit, vix sufficit ultimo Eteoclis et Polyniceis certamini, et statim post v. 700 dubium esse nequit quin cum Polynice Eteocles concurrat, ut aliud agendi tempus nullum restet. Praeterea cum pugna ad portas dudum ante quam nuntius Argivorum duces enarratum venit coepta esset (cf. v. 146 *κόναβος ἐν πύλαις χαλοκοδέτων σακέων* et 232 *ἀραγμός δ' ἐν πύλαις ὀφέλλεται*), iam tum portis singulis opus erat duces praefici. Atque hoc ipsum ex accurata versus 267 interpretatione est consectorium; nam quod rex dicit *εἰς ἐπιταχειεῖς ἐξόδους τάξω μολών*, Ritschelius quidem portarum voluit universitatem intellegi, verum ego ad singulas portas refero 'ad septem murorum exitus ibo et collocabo'. Non aliter scholiasta: *ἐγὼ δὲ σὺν ἐμμαντῶ ἄλλους εἶ, ὥστε ἐστὶν αὐτὸς ἔβδομος, ἀντιστάτας τοῖς πολεμίοις ποιήσομαι* [*legas ποιήσω πρὸς*] *ταῖς ἐπτά πύλαις κτλ.* Similiterque Euripideus Eteocles (Phoen. 748) *ἐλθὼν* inquit *ἐπτάπυργον ἐς πόλιν* (*κύκλον* Musgravius) *τάξω λοχαγούς πρὸς πύλαισιν, ὡς λέγεις, ἴσους ἴσοισι πολεμίοισιν ἀντιθεις· ὄνομα δ' ἐκάστον διατριβῆ πολλῇ λέγειν.* Itaque dum hostium duces a nuntio describuntur, sex Thebani suae quisque portae praesunt et septimam (*Ἐβδόμας πύλας*) Eteocles sibi destinatam habet; postquam duces Argivorum comperit, rex orationibus suis delectum eorum, quos ex suis civibus ad muros disposuerat, ratum ac firmum esse iubet nominaque publice renuntiat. Cui sententiae convenit v. 429 *τέτακται*, 454 *πέπεμπται*, 486 *ἤρεθη* (534 *ἔστιν*); neque praeteriti temporis hae formae rhetoricarum instar figurarum mihi sunt ut Ritschelio, sed futura illa *ἀντιτάξω* 389 et *ἀντιτάξομεν* 602, quae si qui cum artificio malit interpretari forsitan non ad portas verum ad ipsam decertationem liceat referre, quasi Eteocles significet 'ad portam eam collocavi et cum isto committam vel congregientem faciam'. At potius sine artificio futura illa inde nata aio quod rex nuntio respondet percontanti vel admonenti tamquam de re nondum acta (v. 376 *τί' ἀντι-*

τάξεις et 577 πέμπειν ἐπαινῶ), eademque ratione secundum nuntii verba πέμπει τὸν φερέγγυον v. 451 rex continuo v. 453 dicit πέμπωμι' ἂν ἤδη τόνδε. Hoc enim mirum non est quod speculator quotiens de Thebanis ducibus facit mentionem, futurum tempus indicat v. 376 τὴν ἀντιτάξεις; (416 πέμπει, τίς ξυστήσεται;) 451 πέμπει τὸν φερέγγυον, 577 πέμπειν ἐπαινῶ, 631 γινῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖς, quoniam lectos eos iam esse ille pariter nescit, atque populus Thebanus quem chorus virginum repraesentat, quam cui portam rex assignaverit. Quod igitur Ritschelius tunc demum Eteoclem Argivis singulis singulos Thebanos apud portas singulas opponere existimat, quia tunc demum ut maxime idoneus erat ita quemque seligere et semet ipsum exadversus Polynicem constituere potuerit, contra ego sentio: Portas ducibus Thebanis rex suam cuique dedit, ante quam hostium copias quis contra eam ducturus esset audivit; casus efficit, divinitus accidit, non Eteoclis consilio, ut signa quae in scutis concurrentium inter se sunt, victoriam Thebanorum portendant (inde v. 489 Ἐρμῆς δ' εὐλόγως ξυνήγαγεν); fatum ita fert ut septimam sibi Eteocles portam eandem reservaverit in quam Polynices incursat fraternumque certamen non ultro instituat sed quasi a deis praescriptum ineat. Non, ut Ritschelio visum est, quod septimam portam oppugnare accipit fratrem, propterea eam sibi sumit sed fratrum alteruter alterius consilium ignorans ad portam eandem se converterat. Sic certo ostento Eteocles cum suum fratrisque sanguinem deos appetere perspexerit, in hos se questus effundit v. 634 ss.: ὦ θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος, ὦ πανδάκρυτον ἄμὸν Οἰδίπου γένος, ὦμοι, πατὴρ δὴ νῦν ἀραι τελεσφόροι. In hac re cardo vertitur totius fabulae cuius hinc potissimum περιπέτεια pendet quod divina vi contra fratrem Eteocles compellitur. Augetur denique vis huius actus quem nuntii Eteoclisque orationes conficiunt; nam ad praeparandum id discrimen vel ut critici locuntur, ad nectendum eum nodum qui in ultima Eteoclis oratione

constrictus apparet, sexies binae illae orationes quae praecedunt erant necessariae. Quod cum alios fugit qui de actu illo accusabant poetam tum eum qui excusabat, F. Iacobsium.

Denique emendationem commemorabo communem mihi cum Rud. Westphalo, cuius nunc ipsum ad me perferuntur 'emendationes Aeschyleae' (in programmate celebrandis Vratislaviae nataliciis saecularibus F. A. Wolfii destinato): commemorare autem iterum licebit, quia pro suo ille consilio, dum primum canticum tractat universum, illam emendationem breviter indicavit, non singillatim persecutus est. Versus igitur 145 — 150 traditi Medicei libri scriptura hac sunt:

ὦ φίλ' ἄπολλον.

κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.

147 καὶ διόθεν

πολεμόκραντον ἄγνόν τέλος ἐν μάχαι σὺ

τε μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα πρὸ πόλεως

ἐπτάπυλον ἔδος ἐπιρρύου.

in quam Hermannii certissimam emendationem ἐν μάχα σὺ τε (in codice est ἐν μάχαισί τε) taedebat non admittere. Mutilum esse versum 147 et ipsa docemur sententia et strophico versu 139, qui tametsi ne ipse quidem recte in Mediceo legitur: ἄρτεμι φίλα. ἐῆῆῆ, probabiliter tamen dochmii aequasse mensuram statuitur sive sic ut Hermannio visum aliisque erat: ἄρτεμι φίλα, ἔ' ἔ', sive ὦ φίλα ἄρτεμι. Nam interiectiones illae eodem in hunc versum errore ex v. 135 adsumptae atque ante v. 135 intrusa huius versus sunt verba ἄρτεμι φίλα; mutationem vero a me propositam in qua brevis ultima syllaba nihil habet offensionis, dubito an versuum 137 ὦ πόντι Ἥρα et 145 ὦ φίλ' ἄπολλον commendare aequabilitas videatur. Sed hoc utut est, iambicam dipodiam ἄρτεμι φίλα qui constituerunt, antistrophici rursum versus lacuna redarguuntur, quam facile experiare nequitiam expleri posse si duobus iambis verba concludere

volueris. Ibi Hermannus pro inepta καί particula secundum Robortellum ἐκ scripsit itaque cum ἐκ Διόθεν . . . edidisset, 'excidisse' adnotavit 'verbum quod aut πέλοι vel μόλοι significaret, aut quale est ἐπαιτῶ, et fortasse hoc ipsum'. Iovis igitur ab aliqua virgine auxilium his verbis implorari voluit, meo iudicio minus recte: non quasi inter Apollinem et Minervam medius non debuerit Iuppiter collocari, sed quia strophae et antistrophi interciperetur congruentia, cui maximo opere studuisse poetam patet, si in illa duo, in hac tres dei appellarentur. Et quod etiam maius est, per totum hoc canticum virgines deum unumquemque comprecantur invocantes nominatim, ut non consentaneum sit scripsisse Aeschylum ἐκ Διόθεν μόλοι-τέλος verum adeo necessarium σὺ δ' ὦ Ζεῦ, δίδου-τέλος. Re vera autem quid scripserit, effici id arbitramur ex subiectis verbis πολεμόκραντον ἄγνὸν τέλος ἐν μάχῃ, quibus subtiliter quid significetur Hermannus sensit 'purum et vacuum scelere exitum belli dicit, in mente habens odia fratrum'; nefariam enim fratrum caedem chorus inducitur praesentiscens. Iam quemnam potissimum deum ad ἄγνὸν τέλος perducere rem addecebat? Profecto Apollinem, cuius vindicta laesi cum Laium et Oedipodem affixisset, tum perniciosum istuc Eteoclis et Polynicis bellum concivit: nempe hanc sua Aeschylus trilogia sententiam illustraverat, cf. v. 726 et 782. Ad Apollinem igitur ubi referendos versus 147 et 148 esse intellexi, testem etiam huius coniecturae inveni veterem grammaticum, cuius Mediceus liber hanc adnotationem servavit: 145 ὦ φίλ' Ἀπολλων: ὦ φίλε Ἀπολλων καὶ Ἀθηνᾶ καὶ Διόθεν πολεμόκραντον 148 πολεμόκραντον, quae quamvis aperte mutila simul et interpolata sit, hoc tamen comprobat nullum inter Apollinem et Minervam alium deum appellatum fuisse. Idcirco ab initio v. 147 παῖ Διός *)

*) Simile vitium exigendum ex his tragici, ut videtur, poetae versibus est (Nauckii trag. p. 714 n. 402): νῦν οὐκέτι μοι δίχα θυμός, ἀλλὰ σαφῆς (λόγος ἐστ' addit Bergkii lyr. p. 1074) ὕι καὶ

haud sane violenter restitui, quo quis cognomento vocaretur hic non magis quam in Eumenidibus dubium erat ubi Furiae locuntur: *ἰὼ παῖ Διός, ἐπίκλοπος πέλει*. Similiter autem v. 101 invocatio Martis sic continuatur: *ὃ χρυσοπήλῃς δαῖμον*, post quam superiore eundem versu virgo inclamavit: *παλαίχθων Ἄρης*. Neque vereor ne quis reprehendat quod non servare *Διόθεν* atque in hunc modum *παῖ Διόθεν δίδου* complere versum maluerim, quoniam *παῖδα Διόθεν* vel *Λατόθεν κόρυαν* Graccum poetam Iovis puerum vel Latonae filiam dixisse a Lowinskio (musei huius X p. 364) adlata exempla non persuadent. Tantum nos pro explorato habemus: exitum dochmii non posse videmur nisi hariolando assequi, quod in libris quae *Διό-θεν* apparent litterae valde ambiguum num illuc valeant an pravae debeantur correctoris operae male traditum versum in eam sententiam interpretati quam Byzantinus aliquis sic expressit: *ὡς εἰ ἔλεγεν, ἡ ἀπόβασις τοῦ πολέμου Διόθεν*. Exemplo autem esto *παῖ Διός, ἐπιτίθει* propositum a Westphalo p. 15, vel alteram strophici versus conformationem si respexeris, *παῖ Διός, ἐνδίδου πολεμόκραντον ἄγρον τέλος ἐν μάχα*.

10.

Nicolai Damasceni vita Caesaris Augusti, quam inter historicorum graecorum reliquias C. Muellerus in tertio volumine edidit, ipsius, Duebneri, Piccoloi cura satis diligenter emendata est. Pauca tamen et parva quae invenisse meliora vel probabilia mihi videbar, hic subscribam: maximam autem fuisse tenendum est compilatoris negligentiam qui plurima casu, aliqua consilio praetermiserit.

Interfecto Caesare quid faciendum sit Octavianus deliberat cap. XVI p. 435: *πολλῆς δὲ σκέψεως γενομένης οἱ*

τὰ βροτοῖς Ζεὺς ἐπικάρσια τέμνει, καθελὼν μὲν δοκέοντι, ἀδόκητον δ' ἐξαίρων (ἐπαίρων Heerenus): in quibus scribendum *πάντα βροτοῖς Ζεὺς ἐπικάρσια τέμνει*.

μὲν παρήγουν τῶν φίλων ἐπὶ τὸ ἐν Μακεδονίᾳ στρατεύμα χωρεῖν — καὶ σὺν αὐτῷ ἤκειν τὰσφαλοῦς ἕνεκεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ ἄμυναν τῶν σφαγέων ὑπάρχειν δὲ καὶ τοὺς στρατιώτας ὑπ' εὐνοίας τῆς πρὸς ἐκεῖνον τοῖς ἀχθομένοις· προσγενήσεσθαι δὲ καὶ τὸν ἀπὸ τοῦ παιδὸς οἶκτον ὀφθέντος τῷ στρατῷ. Praeter necessitatem ὑπάρξειν Muellerus mutavit: pro certo amici adfirmavere sua sponte iam irasci milites, accessuram deinde qua filius exercitum commoveret misericordiam. At recte idem ἀχθομένους correxit et aut intercidisse vocabulum aut τούτοις scribendum esse proposuit. Praestare puto τοῖς [πραχθεῖσιν] ἀχθομένους.

Relinquit Apolloniam Octavianus cap. XVII p. 436: Ἀπολλωνιάτας δὲ τότε ἐπήνεσε, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν ἀρχὴν ἐλευθερίαν τε αὐτοῖς καὶ ἀτέλειαν ἄλλας τε οὐκ ὀλίγας χάριτας ἐπιδοὺς καὶ εὐδαιμόνα τὴν πόλιν ἐν τοῖς μάλιστα ποιήσας. Muellerus 'scribendum videtur καὶ τότε, nisi in sequentibus pro ποιήσας fuit ἐποίησε'. Alterum hoc si Nicolaus voluisset, non καί ante εὐδαιμόνα addidisset. Legemus τότε τε et ἐπήνεσε etiam ad posteriorem enuntiati partem pertinere credemus, nec dilatatam opus est per zeugma eius vocabuli potestatem sumere aut interceptum post ἀρχὴν alterum verbum, cum libertatem vel immunitatem civitatibus tribuere Caesares non sine laudatione earum consuevissent.

Lupiam profecto Octaviano obviam veniunt qui Romae Caesaris sepulturae adfuerant cap. XVII p. 436: οἱ ἀπήγγελλον τά τε ἄλλα καὶ ὡς ἐν ταῖς διαθήκαις ὡς υἱὸς εἶη Καίσαρος ἐγγεγραμμένος, καὶ τρία μέρη τῶν χρημάτων, τὸ δὲ τέταρτον τοῖς ἄλλοις εἶη δεδομένον. Sententiam apparet sic fere redintegrandam esse: καὶ τρία [μὲν αὐτῷ] μέρη κτέ.

Cap. XVIII p. 437: καὶ μετὰ ταῦτα ἀπῆρεν [ἀπὸ Λουπίας] εἰς Βρεντέσιον· ἔγνω γὰρ οὐδένα ἐνόητα τῶν ἐχθρῶν αὐτόθι, πρότερον δ' ὑπιδόμενος μὴ ὑπὸ του φρουροῖτο ἢ πόλις, οὐκ εἰκῆ τὸν πλοῦν ἐκ τοῦ πέραν ἀπηύθυνεν.

Nam postremum hoc verbum Muellerus restituit cum in codice ἀπήνθανεν legatur. Neque deesse aliquid orationi ille non sensit cum Latine eam interpretaretur 'non temere ex Apolloniae litore cursum *huc* dirigere voluerat': nam Brundusii significatione (ἐκεῖσε) non possumus carere. Quam facillime ita licet recuperare: οὐ κείνη τὸν πλοῦν ἐκ τοῦ πέραν ἀπήνθνε, 'non illa maris via cursum derexit'.

Diadematis statuae suae occulte impositi Caesar invdiam in duos tribunos plebis traiecerat, et hi quidem expulsi in exilium sunt, alii autem tribuni suffecti: cap. XX p. 441: ὁ δὲ δῆμος ἐβόα βασιλέα τε αὐτὸν εἶναι καὶ ἀναδεῖσθαι μηδὲν ἔτι μέλλοντα, ἐπεὶ καὶ ἡ Τίχη αὐτὸν ἐνέδωκεν. Audacius αὐτὸν ἀνέδησεν Muellerus substituit, quoniam ἐνέδωκεν non est cur improbetur. Et nimium est a Fortuna coronatum Caesarem dicere, satis erat dedisse deam, permisisse regnum et diadema. ἐνέδωκεν igitur servandum ratus αὐτό scripturam commendaverim id est τὸ βασιλέα εἶναι καὶ ἀναδεῖσθαι. Eodem vitio superius paulo legebatur: τούτου διάδημα ὄφθῃ πρὸς τῆ κεφαλῆ κείμενον· ὑπόπτως δὲ πρὸς αὐτὸν ἔχουσι Ῥωμαῖοι, ubi αὐτό Piccolous correxit. In eodem vocabulo peccavit librarius qui Scorialensia excerpta Diodori Siculi confecit (in Muelleri hist. gr. fr. vol. II p. XXI) cap. XXVI: ὁ δὲ [Εὔνοος] τερατευόμενος μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ περὶ τίνων ἤκουσι [ἀκούσας addit Muellerus] διεσάφησεν ὅτι διδάσιν αὐτοῖς οἱ θεοὶ τὴν ἀπόστασιν, ἐάν — τοιούτων λόγων ἀκούσαντες καὶ διαλαβόντες ὅτι τὸ δαιμόνιον αὐτῆς συνεπιλαμβάνεται τῆς προαιρέσεως κτλ.: nam αὐτῆς nihili est, scriptum erat αὐτοῖς (ὅτι οἱ θεοὶ αὐτοῖς συλλήπτορες τῆς προαιρέσεως γίνονται). Subiciam Luciani locum ex sexto dialogo meretricio cuius capite secundo Crobyle Corinnae filiae ut corpore quae-stum faciat persuasura Daphnidis filiam Lyram commonstrat ut quae amandi arte divitias compararit: οὐχ ὄρας ὀπόσαι καὶ ὡς περισπούδαστοί εἰσιν αἱ ἑταῖραι καὶ ὅσα χρήματα λαμβάνουσι; τὴν Δαφνίδα γοῦν ἐγὼ οἶδα, ὧ φίλη Ἀδρά-

στεια, ῥάκη πρὶν αὐτὴν ἀκμάσαι τὴν ὄραν περιβεβλημένην· ἀλλὰ νῦν ὀρᾶς οἷα πρόεισι· χρυσὸς καὶ ἐσθῆτες εὐανθεῖς καὶ θεράπαινοι τέτταρες. Corinna: πῶς δὲ ταῦτα ἐκτήσατο ἢ Ἀύρα; ubi illa πρὶν αὐτὴν ἀκμάσαι τὴν ὄραν non possunt non referri ad Daphnidem: at non vetulam istam Crobyle existimat suo ipsam flore aetatis aurum meruisse verum filiae beneficio prostitutae, eandemque sibi fore fortunam exoptat (cf. cap. 4: οὐχ ὀρᾶς τὴν Κόρινναν τὴν τῆς Κρωβύλης θυγατέρα ὡς ὑπερπλουτεῖ καὶ τρισευδαίμονα πεποίηκε τὴν μητέρα;). Itaque ne tum quidem si τὴν Δαφνίδος scriberemus ut Lyra intellegeretur, satis fieret materno aniculae animo, sed legendum videtur: τὴν Δαφνίδα γοῦν ἐγὼ οἶδα — ῥάκη πρὶν αὐτῇ ἀκμάσαι τὴν Ἀύραν περιβεβλημένην.

Diadema Caesari Lupercalibus quemadmodum impositum sit, Nicolaus curiosius quam ceteri historiae scriptores enarrat cap. XXI p. 441: καθήμενῳ δὲ Καίσαρι — πρῶτον Λικίνιος δάφνιον ἔχων στέφανον, ἐντὸς δὲ διάδημα περιφαινόμενον προσέρχεται (ἦν γὰρ ὑψηλὸς ὁ τόπος ἐφ' οὗ Καίσαρ ἐδημηγόρει) βασταχθεὶς ὑπὸ τῶν συναρχόντων καὶ κατέθηκεν αὐτοῦ πρὸ τῶν ποδῶν τὸ διάδημα. Copulam Muellerus interposuit sed non suo loco, nam ἦν γὰρ ὑψηλὸς ὁ τόπος coniungi oportet cum κατέθηκεν vocabulo: deposuit ante pedes Caesaris Licinius coronam quia in editiore illo loco consederat. Scribemus igitur: προσέρχεται καί, ἦν γὰρ ὑψηλὸς ὁ τόπος —, βασταχθεὶς ὑπὸ τῶν συναρχόντων κατέθηκεν κτέ. Hanc vero collocationem γάρ particulae ne quis miretur, simillimum adscripsi exemplum ex eiusdem Nicolai reliquiis petitum (p. 402 M.): ὁ δ' αὐτὸν ἐκέλευσε παραχορῆμα τοὺς οἰκέτας συλλαβόντα ἀπαίρειν καί, ἦν γὰρ αὐτὸς ἐπιμελητής, νύκτωρ πάντα εὐτρεπίζει καὶ ἔωθεν εἰς Πέρασας ὁδοιπόρου. Continuatur illa narratio sic: βοῶντος δὲ τοῦ δήμου ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τίθεται· καὶ ἐπὶ τοῦτον Ἀέπιδον καλοῦντος τὸν ἱππάρχην, ὁ μὲν ὤκει· ἐν τούτῳ δὲ Κάσσιος Λογγῖνος, εἷς τῶν ἐπιβουλευόντων, ὡς

δῆθεν εὐνοὺς ὦν, ἵνα καὶ λανθάνειν μᾶλλον δύναιτο, ὑποφθὰς ἀνείλετο τὸ διάδημα καὶ ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτοῦ ἔθηκε. Quae omnia Muellerus prave intellexit, cum Caesarem sibi imponentem diadema, Cassium detrahentem et in genua reponentem, Antonium rursus imponentem faceret: nam ante pedes Caesaris a Licinio depositum Cassius sustulit e terra (ἀνείλετο) et super genua sedentis imponit, Antonius autem capiti admovet (ἐπιτίθεισι). Vnde τίθεται corruptum esse patet. Et hoc quidem intellexit verum de reliquo prorsus aberravit ab scriptoris sententia Piccolous quem in addendis (vol. IV p. 667) Muellerus τίθεισι proposuisse refert simul adiciens 'idem orationem aperte contractam hunc in modum refingendam esse censet: . . . βοῶντος δὲ τ. δ. ἐ. τ. κ. τιθέναι. [Καὶ δὴ ἐποίει· Καίσαρος δὲ ἀγανακτοῦντος] καὶ ἐπὶ τοῦτον —: idem de sanitate verborum ἐπὶ τοῦτον dubius'. Verum et integra haec et sana sunt, modo emendaveris βοῶντος δὲ τοῦ δήμου ἐ. τ. κ. τίθεισθαι καὶ ἐπὶ τοῦτο Λέπιδον καλοῦντος τ. ἰ. ὃ μὲν ὄκνει, populus clamavit ut capiti imponeretur et ad hoc advocavit Lepidum, nam magistrum equitum voluit diadema imponere dictatori: at Lepidus cunctabatur. Appianus quidem et Suetonius et Plutarchus et Dio alii que non commemorato Lepido Antonium saepius capiti Caesaris admovisse diadema tradunt, sed interfuisse Lepidum etiam Cicero Philipp. V 14, 38 testatur ubi eum omni exsoluturus suspitione se avertisse Antonio diadema Caesari impone dicit.

Senatum honorifica sibi decreta adferentem Caesar postquam aliquantis per neglexit cap. XXII p. 443, tandem ἐπεστράφη καὶ περὶ ὧν ἦλθον ἤκουε. Συνόντες οὖν αὐτοῖς οἱ ἐπιβουλευόντες τὸ γεγονός καὶ τοὺς ἄλλους τῆς πρὸς αὐτὸν δυσμενείας ἀνέπλησαν καὶ αὐτοὺς ἤδη ἄχθομένους· ὄργου ν τότε καὶ οἱ ἐπὶ δλέθρῳ τῶν συμπάντων, μὴ τί γε ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐπιχειρεῖν τῷ ἀνδρὶ καὶ προσεδόκων χειρώσασθαι αὐτὸν ἀνίκητον παντάπασι δοκοῦντα εἶναι. Ita

haec scripta in codice sunt. Muellerus διασύροντες οὖν αὐτοί vel συκοφαντοῦντες δ' οἱ vel eiusmodi quid suspicabatur, Piccolous συγγόντες, ego olim συνέντες οὖν αὐτοί tentaveram vel potius αὐθις ratione habita cap. XXI, in quo extremo impositum Lupercalibus Caesari diadema ἐγεῖραι dicebatur τοὺς ἐπιβουλεύοντας πίστιν ἐν ὀφθαλμοῖς παρασχόν. Nunc vero non corrupta illa sed mutilata esse arbitrator et Nicolaum talia fere scripsisse: συνόντες οὖν αὐτοῖς οἱ ἐπιβουλεύοντες [αὐτοῖ τε ἐδυσχέραινον] τὸ γεγονός καὶ —. Deinceps ὄργων Muellerus correxit et aut ἐπιχειροῦντες scribi iussit aut ante καὶ προσεδόκων inseri βουλόμενοι, Piccolous πεφυκότες supplevit, neuter ad Nicolai cogitationem accommodata: nam qui omnia ut pessumdarent Caesarem interfecturi erant, quid habebant cur tunc exardescerent? Mihi ὄργων ἐπιχειρεῖν videntur coniungenda (cf. Bekkeri anecd. p. 7: ἀκοῦσαι ὄργῳ σημαίνει τὸ πάνν ἐπαίρομαι πρὸς τὸ πρᾶξαι τι ἢ ἀκοῦσαι) et καὶ οἱ imminuta ex καὶ [πολλοί] vel καὶ [ἐνε]οι. Quamquam ne hoc quidem modo omnis difficultas tollitur quoniam moleste ferimus omissam qua hoc cum superiore enuntiatum colligetur particula. Quod non tam excerptoris studio contrahendae orationis quam mendo scripturae factum esse mihi persuadet τότε vocabulum incommode additum. Itaque Nicolaus nescio an scripserit: ὄργῶντο δὲ καὶ [πολλοί] ἐπὶ ὀλέθρῳ τῶν συμπάντων — ἐπιχειρεῖν τῶ ἀνδρί, ut ὄργᾶσθαι mutuatus sit a Thucydide, quem studebat imitari, II 21, 3: ὃν ἀκροῦσθαι ὡς ἕκαστος ὄργητο.

Cap. XXVIII p. 450: Δέκμος δὲ Βροῦτος τὴν ἰσόνομον ἐκράτει Γαλατίαν σὺν δυοῖν τάγμασιν, ἐφ' ὃν ἔμελλεν αὐτίκα μάλα χωρεῖν Ἀντώνιος. Legendum ἐφ' ὃν. In cap. XVIII p. 437, ubi de Atia agitur ad Octavianum filium scribente ὡς ἐπὶ τοὺς περὶ Βροῦτον καὶ Κάσσιον ἐξήγηται ὁ πᾶς δῆμος δυσανασχετῶν ἃ δράσειεν· ἀπέστειλε δ' αὐτῷ καὶ ὁ πατρῶος Φίλιππος δεόμενος μὴ προσελθεῖν τῇ Καισαρος κληρονομίᾳ, monitus a Duebnero Muellerus vol. IV

p. 666 correxit ἐπέστειλε, neglexit δράσειαν corrigere. In cap. XXVII p. 448: *πολλὰ δὲ καὶ ὀλοφύρσεις καὶ ἰκετεῖαι πρὸς τοὺς ἐκείνου [Καίσαρος] φίλους ἐγίνοντο — μνημονεύειν παρακελευόμεναι οἷος ὧν οἷα πάθοιεν ἐρημίᾳ φίλων* scribendum *πάθοι* est ἐν syllaba deleta.

Concordiam inter Octavianum et Antonium concilians milites ut domum illius intraverunt, alius pro successoribus Caesaris exercitum facere patique quidvis paratum esse vociferatur cap. XXIX p. 452; *ἄλλος δὲ μείζον ἐπιφθεγξάμενος καὶ Ἀντώνιον ἂν διαχορήσασθαι αὐτόχειρ ἔφη, εἰ μὴ τὰς Καίσαρος διαθήκας ἅμα καὶ βουλῆς Ἰσα φυλάττοι.* Piccolous καὶ τῇ βουλῇ τὰ πιστά coniecit artificiosius: neque enim dubito quin restituendum καὶ τὰ βουλῆς ψηφίσματα sit, cum miles quae cap. XXVIII narrata sunt respiciat, non licuisse per Antonium Octaviano ludis quos patri edidit auream sellam cum corona constituere, *ἅπερ αὐτῷ κατὰ πάσας θέας ἐψηφίσαντο προτίθεσθαι* (Appiani b. c. III 28). Deinde splendidissima quasi pompa milites Octavianum in Capitolium deducunt ubi Antonium conveniat: *πάντες γε μὴν παρήνουν αὐτῷ ὑπ' εὐνοίας προσιόντες μὴ φιλονεικεῖν ἀλλὰ προσέχειν τῷ σφετέρῳ ἀσφαλεῖ καὶ ὡς δύναιτο συμπροσλαμβάνειν βοηθῶνς, μεμνημένον ὡς σφαλερὸς εἶη ὁ Καίσαρος θάνατος.* Perperam Duebnerus probante Muellero vol. IV p. 668 mutari οὕς δύναιτο voluit, quoniam ὡς δύναιτο aequae ac τῷ σφετέρῳ ἀσφαλεῖ ad προσέχειν verbum referri oportet: 'ne litigaret cum Antonio sed operam daret ipsorum, suae et Antonii, securitati et ut socios adsumere possent, neve oblivisceretur quam mors Caesaris periculosa esset'. Milites enim ἐκείνοις ὀρῶντες τὴν ὁμοφροσύνην ἐν τῷ παρόντι διὰ τὸ πλῆθος τῶν περιεστώτων ἐχθρῶν ὠφελιμωτάτην (p. 451) ut non suam tantum sed etiam Antonii rationem Octavianus haberet optavere. Ceterum ὑπ' εὐνοίας προσιόντες ne inepte addita sint, corrigi προσιόντα necesse est.

Franciscus Buecheler.